



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

Synopsis Tomi Quinti De Actis Sanctorum Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

## SYNOPSIS

TOMI QUINTI

# DE ACTIS SANCTORUM OCTOBRIS

**T**omus hic, dies decimum et undecimum mensis Octobris continens, Sanctos ac Beatos octoginta nominatim una cum pluribus aliis, quorum nomina vel incerta sunt, vel omnino latent, recenset. De hisce, quatuor in classes, quarum tres priores quidem ecclesiastici, monastici et secularis status viros, quarta vero cujuscumque status feminas complectitur, divisit, hic pauca secundum ordinem, quo in tomo subjecto dantur, de more præmittimus.

### EX STATU ECCLESIASTICO.

Classen hanc aperit *Pinitus*, Cnossi seculo secundo senescente episcopus. Qui hunc excipit, *Clarus* episcopus, sede apud Nannetes locata, fidem Christianam in Britanniam Armorica seculo verosimiliter tertio invexit. Alterum e *Carbonis*, Italiae episcopi, sedem Veronensem ante seculum octavum occupasse; alterum vero, cujus acta hactenus inedita, cum aliis jam editis collata, Commentario, in quo commentitia a veris certa quæ a dubiis secernuntur, subnectimus, cathedram Populoniensem obitu suo vacuum anno verosimiliter MXXV, usque ad decimam Octobris diem jam provento, reliquias ostendimus. *Paulini*, Eboracensis in Anglia archiepiscopi, Acta, a venerabili Beda conscripta, præmissis in hæc Commentario, e Surio recudimus, eaque, quæ ad *Paulinum* alium Capuanum in regno Neapolitano episcopum, spectant, Syllogæ includimus. De *Nuncio*, comitatus Namurcensis presbytero, vix quidquam certi invenimus. *Franciscus Borgia*, tertius Societatis Jesu generalis, quamplures Vitæ suæ nactus est fidei juxta ac notæ optimæ scriptores, quos inter elucet, qui non modo *Francisco* ætate æqualis, sed et eruditione, scriptisque ac religiosarum virtutum laude exstitit insignis, Petrus Ribadineira. Hujus lucubrationem, hispanice, cum *Francisci* rerumque ab eo gestarum recens adhuc esset apud Hispanos memoria, conscriptam, ex interpretatione Andreæ Schotti edimus, Commentario amplissimo illustratam. *Anastasius* seu *Athanasius* presbyter e solis fere Hieronymianis est notus. An *Nigasius*, qui pro primo Rotomagensium episcopo passim habetur, vel episcopali characterē fuerit insignitus, est dubium; uti etiam an tam *Seuiculum*, quam *Quirinum* sibi habuerit, ut creditur, in martyriosocium adjunctum. Nec id trium istorum Sanctorum Actis, quæ, quod sublestæ fidei dumtaxat sint, edenda haud duximus, certum efficitur. Quæ de *Sanctino*, Meldensi episcopo, et *Antonino* seu *Antonio*, forte

etiam episcopo, narrantur, fere omnia queunt revocari in dubium, ac ne quidem, an eorum prior cum Sanctino, primo Verodunensium episcopo, quem in Agrippinensis anno CCCXVI in Euphratæ, urbis ejusdem episcopi, causa celebrati concilii Actis, haudquaquam, ut nobis apparet, supposititiis, memorari arbitramur, unus idemque sit, est certum. *Nectarium*, patriarcham Constantinopolitanum, etsi solis Græcorum Fastis sacris inscriptum, e Sanctorum numero haud eradendum, probamus. editisque, licet fabulas, quas in Commentario prævio explodimus, sibi habeant admixtas, *Germani*, Vesontionensis episcopi, Actis, locum etiam *Sisinno*, patriarchæ Constantinopolitano, Cælestini Papæ præclaro potissimum de ejus jam mortui fide ac virtute testimonio impulsus in Opere nostro concedimus, uti etiam *Eupilio*, Comensium in Italia episcopo, hodieque abs hisce culto *Firmini*, Usetiensis in Occitania Inferiori antistitis, Acta, quæ penitus rejicienda haud omnibus videntur, vulgamus, additis variorum desingulis, quæ asserunt, judiciis. *Grammatius*, Salernitanus episcopus, videtur, etsi tempus, quo sederit, sit incertum, ad seculum VII potius, quam ad aliud antè referendum. *Bruno*, Coloniensis archiepiscopus, qui, fratre suo, Otone primo imperatore, volente, Lotharingæ, magnam Belgii Austriaci hodierni partem tunc complectenti, ducis potestate simul præfuit, æqualem vitæ suæ scriptorem nactus est Rotgerum; ast, cum hic, qui quis fuerit, est dubium, omnia et singula, quæ de illo in Actis, a se scriptis, narrat, notis chronicis haud muniat nec sat enucleate exponat, fuerunt illa prolixo, in quo potissimum duo hæc præstantur, Commentario illustranda; contra vero, cum res quantum ad *Alexandri Saulii*, Aleriensis primum ac dein Ticinensis episcopi, Acta, ab auctore æquali pariter conscripta, secus habeat, brevem dumtaxat commentarium hisce præmittere fuit necesse.

### EX STATU MONASTICO.

*Bassianus* Constantinopoli monasterium medio circiter seculo quinto construxit, trecentisque in eo discipulis, quibus et Matrona, a Græcis culta nec cum Matrona altera, quæ secta Macedoniana fuit, confundenda, accensetur, fuit præfectus. *Venantius*, qui vitam eremiticam seculo octavo provento in Artesia duxit, S. Amelbergæ filius perperam asseritur estque etiam, an S. Pharaïdem habuerit sororem, incertum. Etsi exstent *Joannis de Bridlingtona*, e Canonicorum Regularium Ordine, Vitæ tres, harum

harum tamen, quam Hugo, canonicus Regularis, conscripsit nec quisquam hactenus vulgavit, unam postremam, cum omnium prima, a Capgravo et Surio jam vulgata, collatam, duas vero e multis *Ludovici Bertrandi* Vitis, Latine ex Italicis redditas, præmissis, in quibus nonnulla, ad utrumque hunc Sanctum spectantia, elucidantur, Commentariis, publici juris facimus. *Ludovicum Bertrandum* excipiunt in hac classe *Sarmata* et *Michaël Aragavi*, quorum prior quidem S. Antonii in Thebaide Inferiore discipulis, posterior vero primis novem fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium propagatoribus accensetur. *Cannici* abbatis. Kill-Kennia in Hibernia culti, Vitam prelo censem indignam, vixque quid certi de *Eufredo* et *Ansilione*, quorum prior Albæ-pompejæ in Insubria, posterior Latiniaci in diocesi Parisiensi colitur, reperimus. Verum res quantum ad *Paldonem*, cœnobii S. Vincentii ad Vulturum in Italia abbatem, secus habet; hujus enim Vita ab auctore subæquali. S. Ambrosio Autperto, cœnobii ejusdem abbate, est conscripta, cumque adeo parvi facienda haud sit, typis subjiciendam, adnotationibus etiam, quibus subinde illustratur, de more adjectis, existimavimus. Etsi novem de *Vinardo* lectiones, pro Officio in ecclesia Cellensi recitari olim solitæ, e S. Genulphi, Cadurcensis, ut putatur, antistitis, Actis sint acceptæ ac proin quæ narrant, ad *Vinardum* haud spectent, eas tamen, quo id, dum cum Actis illis fuerint collatæ, evadat perspicuum, lectori sub Vitæ, *Vinardo* affictæ, titulo exhibere est visum. *Jacobus Alemannus*, Ordinis S. Dominici frater laicus, obedientia plane singulari enituit: ejus Vitam, ab Ambrosino de Soncino, Ordinis ejusdem fratre itidem laico, qui *Jacobi* discipulus fuit, Italice conscriptam Latinitateque a Patre Isidoro Mediolanensi donatam, excudimus, Syllogeque, quæcumque de *Martino* Augustiniano reperire potuimus, complectimur.

#### EX STATU SECULARI.

Qui classem hanc constituunt, fere omnes sunt martyres; ac horum quidem sex, qui primo loco occurrunt, *Eusebius* videlicet, *Eraclius*, *Dionysius*, *Septimus* seu *Septima* aut *Septimia*, *Secunda* et *Salsa*, in Africa quatuordecim vero, qui hosce excipiunt, *Caitius* nimirum, *Quintus*, *Septimianus*, seu *Septimus*, *Venustus*, *Beatus*, *Secundus*, *Donatus*, *Seremus*, *Crescentius*, *Nicetius*, *Vitalis* seu *Natalis*, *Firminus*, *Eraclius*, et *Eusebius* loco incerto sunt passi. Etsi *Gereon* et *Victor Cassius*que item ac *Florentius* cum suis quique sociis non uno eodemque die subierint martyrium, eos tamen communibus, quæ habent, Actis partim impulsus damus conjunctim. Hæc, etsi haud magni pretii, Commentario, in quo controversa de Sanctis illis capita præcipua examinantur, subnectimus, addito etiam, in quo, quæ ad posthumam eorundem gloriam spectant, lectorem edocemus, tractatu *Eulampius* et *Eulampia* cum sociis suis Nicomedie in Bithynia sunt passi. Horum gemina fidei undequaque haud integræ exstant Acta, græce conscripta, quorum alia e Bibliotheca Vaticana, alia e Ms. Mediceo describi, decessores nostri curarunt. Pos-

teriora, quæ Metaphrastem habent auctorem, legi Latinitate donata apud Surium et Lipomanum possunt; priora autem, quæ edita nondum sunt, in lucem, addita, quam adornavimus, interpretatione Latina, proferimus. Tertium Francisci Ordinem virtutibus non minus, quam prænobilibus suis natalibus illustravit *Robertus Malatesta*. Hujus Acta, ab auctore anonymo, sed synchrono, conscripta, e Waddingo recudimus. Etsi *Heraclius* seu *Eraclius* in variis Fastis sacris signetur Antiochiæ, est tamen, qua in nominis hujus urbe sit passus, incertum. Nec martyrium in Sicilia una cum *Anastasio* presbytero supra memorato *Ampodum*, *Placidum*, *Faustum*, *Januarium*, *Martialem*, *Marcellum* et *Jovinianum* subisse, omnino est certum. Verum de loco, quo præstantissimi fidei Christianæ pugiles *Tarachus*, *Probus* et *Andronicus* gloriosissime pro hac certarunt, fas fuit aliter statuere. Hosce enim indubie Anazarbi in Cilicia capite plexos, e preconularibus eorumdem Actis Græce conscriptis, quæ ex Ruinartio una cum antiqua, qua Latine reddita fuere, interpretatione edimus, in Commentario, hisce præmisso, probamus. *Gummarus*, cui Lira suam debet originem, seculo octavo floruisse creditur. Ejus Acta, seculo xii, ut apparet, conscripta, edimus una cum miraculorum, quæ sub annum *mcxxxv* patrasse narratur, Historia. ab auctore subæquali litteris mandata.

#### EX SEXU FEMINEO.

Quæ de *Teclchilde*, prima Jotrensis in Gallia parthenonis abbatissa, reperire fas fuit, exhibemus in Sylloge. *Tanchia* Virginis martyris, quæ damus, Acta fidei sunt adeo sublestæ, ut ex hisce qualis olim de Sancta illa in diocesi Tricassina, in qua colitur, exstiterit traditio, dumtaxat innotescat. *Zenais* et *Philomilla* sorores perperam martyres in magnis Græcorum Menæis vocantur. Prioris Acta Græca, e codice Vaticano excerpta, in linguam Latinam convertimus, Commentarioque, in quo potissimum, quandonam et quibus locis ambæ vixerint ac obierint, inquiritur, subjungimus. An *Pientia*, pagi Vilcassini matrona ad fidem a *Nigasio* supra memorato conversa, sanctum hunc martyrem, cujus in martyrio Socii ab Usuardo accenseri videtur, sepultaræ, ut nonnulli contendunt, mandarit, dubitari posse ostendimus. *Placidia* Virgo, quæ Veronæ in Italia colitur, Valentini tertii imperatoris filia perperam asseritur, nec annus, quo obierit, satis est certus. *Ethelburga*, Berchingensis in Anglia abbatissa, ob vitæ sanctitatem a Venerabili Beda, qui et primum locum inter Scriptores plures, præcipua Sanctæ hujus Acta calamo complexos, obtinet, laudatur. Hæc prout quibusdam, quæ apud Bedam haud reperiuntur, a Capgravo aucta atque in novam Sanctorum Angliæ Legendam illata, exstant, recudimus, nonnullis, quæ visæ haud importunæ sunt, adnotationibus adjectis *Juliana*, Pauliacensis in Normannia abbatissa, quam Monasterioli coli e Mabilionio docemus, nec a *Juliana*, per Menardum die xi Octobris memorata, nec a *Julia* abbatissa, cui exstans apud nos ad x Februarii diem S. Austrebertæ Vita inscribitur, videtur diversa.

#### MONITUM